



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi  
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot  
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

**Bona, Giovanni**

**Antverpiae, 1677**

§. 19. Fundamentum vitae Christianae abnegatio sui, rerumque omnium  
abdicatione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10805**

mala esse, & mala bona, si patienter tolerentur. Docet contemni oportere quidquid corporeis oculis cernitur, quidquid sensus attingit. Ab illa discimus Deum, & nos ipsos cognoscere, in qua notitia salus, & perfectio nostra consistit. Ipsa ab erroribus insanæ multitudinis ereptos verâ nos Sapientiâ imbuit, & in auram veræ libertatis à seculi captivitate educit. Discrepant toto cœlo mundi hujus, & fidei principia: cumque Christus, à quo fidem accepimus, falli non possit, hinc evidenti conclusione deducitur, oportere nos ex fide vivere, ejusque principia sequi, falsam verò, & perniciosam mundi doctrinam detestari. Advertendum tamen & solerter considerandum est, nullam in nobis venam esse, nullam facultatem, quæ non impellat ad principia fidei destruenda, & evertenda. Summum hominis stadium, summa cura hæc est, in hoc seculo commodè vivere, de æternitate altum silentium, nulla cogitatio. Ad hoc maximum malum infelices mortales adigit spiritus Adæ & concupiscentia, quæ regnat in mortali corpore. Quæ de causa gemunt omnes electi Dei dicentes, *Non quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malum hoc ago. Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus (Rom. 7.)* Respondet autem Apostolus, *Gratia Dei per JESUM-CHRISTUM.* Gratia enim liberat nos à cœcitate, & ab infirmitate, ut videamus quæ recta sunt, & ad ea peragenda roboremur.

## §. XIX.

*Fundamentum vitæ Christianæ abnegatio sui, rerumque omnium abdicatio.*

Magna fidei potentia est, quæ cum sit immobilis, immutabilis, inconcussa: similem sibi Christianum efficit, qui ex nuda & simplici fide vivit, & operatur. Nihil enim videt, nihil optat nisi Deum, & in eo placidissimâ tranquillitate quiescit, quia ipse solus lux ejus & dulcedo est, & omnium rerum plenitudo. Nullam autem in hoc mundo delectationem habet, nec in filiis hominum sperat, in quibus non est salus: nam cum omnia, quæ sub cœlo sunt, fluxa, & caduca sint, qui ipsis innititur, cum ipsis pariter labitur; qui verò nititur immobili, non movetur. Sicut Beati omnia

vident in Verbo, sic nos debemus in fide omnia intueri, ita ut vita nostra nihil aliud sit, quam viva imago fidei: ejusque veritatis expressio: nec in ulla re gloriemur, nisi in cruce Domini nostri JESU-CHRISTI, quæ ab asseclis mundi ignominia judicatur. Primus homo in statu innocentia finem ultimum consequi poterat innoxio & legitimo usu deliciarum, quas illi Deus paraverat in paradiso voluptatis. Postquam verò deseruit Creatorem, totumque genus humanum, antequam gigneret, peccato infecit, aliam ad consequendum finem Divina Sapiencia viam advenit, viam scilicet crucis & abjectionis, per quam Christus incellit, & quam omnibus indixit, prædicans abnegationem, rerumque omnium abdicationem; *Si quis vult, inquit, post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quovis die, & sequatur me. (Luc. 9: 23.)* Item, *qui non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Et qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus (Luc. 14: 26. 33.)* Hoc est fundamentum vitæ Christianæ; hæc supereminens scientia Christi, dura & contraria Spiritui hujus mundi. Hæc summa vitæ beatitudo, hæc altissima Philosophia, terræ sapientibus ignota, scire, & sequi Christum, & hunc crucifixum; seipsum odisse, & quidquid mundus amat, ac magni æstimat, divitias, honores, voluptates, & vice versâ amare quæ ille odit, paupertatem, dolores, sui contemptum, arumnas, tribulationes. Magna autem gratia est necessaria, ut hoc principium rectè intelligatur; major ut delectet; maxima, ut operibus comprobetur.

## §. XX.

*Insania hominum, qui spontè damnari volunt.*

Cum æterna supplicia illis dumtaxat destinata sint, qui ad illa damnari volunt, sibi quoque locum in iis præparant spontè peccando; æterna quoque gaudia omnibus volentibus parata sint: quis non crederet vacuum esse infernum, cœlique regnum plenissimum, & infinitâ multitudine refertum? Quis enim sibi persuadere poterit reperiri hominem tantæ dementiæ, qui

H velit